



1768

1. May

2. Scho

Scy

1769.

1. Car

lat

2. Car

ore

3. May

sit

7. May

Tal

5. May

app

be

6. May

Bri

7. May



ue
ad
vi-
ju-
ius
on-
us
hac
de-
fo-
est.
per-
scit.
ma-
ig-
da-
otest.
all-
que-
edu-
cita-
epto,
n, &

P. 326.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
SISTENS
QVÆSTIONES QVASDAM
DE
BENEFICIO ORDINIS
SEV EXCVSSIONIS.

QVAM
IVVANTE DEO T. O. M.
RECTORE EBERHARDINO-CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO,

DOMINO

C A R O L O ,
DVCE WIRTEMBERGIAE ET TECCIAE

rel. rel.

INDVLTV ILLVSTRIS IVRIS CONSULTORVM ORDINIS,
P R A E S I D E

PATRE

EBERHARDO CHRISTOPH. CANZ,

PHIL. ET V. J. D. HVJVSQVE PROF. PVBL. ORD.
SERENISS. DN. DVCIS CONSILIARIO

PRO GRADV DOCTORIS

Die Sept. MDCCCLXX.


H. L. Q. C.


DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLIEB CANZ, Tubingensis,
SVPREMI ADPELLATIONVM TRIBVNALIS WURT. CAVSARVM PATRONVS.

TVBINGÆ, LITTERIS JO. AD. SIGMVNDI.







DISSERTATIO.

§. I.

P R A E L O Q V I V M .

Mirum forte videri posset, me argumentum de beneficio excussionis thematis inauguralis loco elegisse, argumentum, ut videtur, dudum exhaustum a pluribus, & adeo tritum, ut quotidie in foro obvenire soleat; de eoque vix quicquam amplius dici queat. Magna eorum series, allegari posset, qui vel data opera hoc ipsum excusserunt, argumentum, vel certe, quoties de fidejussoribus egerunt, illud negligere nequaquam potuerunt. Prius itaque, quam ad rem ipsam accedam, haud abs re futurum esse arbitror, si vel brevissimis thematis a me propositi rationem aliquam reddam, illudque ab objectionibus hinc & similibus vindicem. Haud recte illos agere, qui acta agunt, qui dudum ab aliis exhausta mere repetunt, recoquuntque, immo minus recte illos agere, si talia plae in Dissertatione inaugurali proponant, nemo facile inficias iverit. Verum non statim illi trita & inutilia proponunt, qui ea tractant, de quibus jam alii scripserunt, nullum enim facile argumentum adeo est exhaustum, ut nihil amplius addi possit, maxime si principiorum species adlicationem ad varios casus variaque objecta, quæ non potest non infinites variare plurimisque laepius exposita esse dubius, immo, & illum non plane nihil

A 2



nihil agere arbitror, qui vel ipsa antiqua & s̄epius dista, eo ta-
men ordine & ad sua revocata principia proponit, ut res ipsa ma-
gis dilucidetur, faciliorque fiat principiorum ad casus propositos
adPLICatio.

§. I.

Instituti Ratio.

Siquidem illi evolvantur, qui de beneficio excussi vel ordi-
nis, quod vocant, scriperunt, facile deprehenditur, principia ra-
tionesque, quibus hoc ipsum superstruunt beneficium, aliquan-
do non ita determinata atque concludentia esse, ut ex iis quicun-
que casus obvenientes decidi possint, aliquando autem scriptores
unice versari in casibus recensendis, quibus hoc beneficium lo-
cum habere, vel non habere statuunt, in hisque ipsis casibus deci-
dendis nonnunquam dubios haerere. Cujus rei ratio iterum mul-
ta esse potest alia, quam ea, quod scil. circa verum fundamen-
tum & genuinam hujus beneficii rationem fluctuant, quæ si cer-
ta sit, & prorsus evicta, fieri vix potest, ut dubium aliquod ma-
gni momenti, si casus proponatur specialior, an scil. huic benefi-
cio locus sit, nec ne? superiit. Quamobrem mecum constitui, ten-
tare, quid valeant humeri, quid ferre recusent circa fines iustos
hujus beneficii regundos, & stabilienda principia, quibus super-
stru posset decisio nonnullorum casuum, qui dubii, adhuc videri
poterant, vel haec tenus decisos invenire mihi non licuit.

§. II.

Finis Differtat.

Non igitur de beneficio excussionis in genere scripturus, sed
de finibus regundis circa concedendum hoc beneficium vel non
concedendum & casibus nonnullis maxime specialioribus sollici-
tus, multa heic pretermittere possum, quæ ali⁹ de hoc benefi-
cio dudum satis superque dixerunt. Neque etiam meum est de-
finire hoc beneficium, cuius definitionem heic suppono, sed hoc
potius mihi agendum esse puto, ut in fundamentum & causas
hujus beneficii inquiram, ut inde determinare liceat, quoisque
competat, & quando frustra ad illud provocet fidejussor, vel
alius

alius similis accessorie obligatus, atque eo facilior mihi paretur via ad decidendos nonnullos casus ab aliis vel plane non tactos, vel controversos certe & dubios (a)

(a) Videtur quidem hic labor frustraneus esse, ex quo in lucem prodit elegantissima & eruditissima Commentatio J ohn Lvd. SCHMIDII de fidejussore principali-
ter obligato, que adeo omnia fere exhausta, ut vix amplius quicquam dici posse
videatur. Interim tamen, vel ex ipsa inspectione facile patet, latius patere il-
lam commentationem, & omnes casus pertractare, quibus ex quacunque causa five
ex persona ipsius fidejussoris, five ex persona debitoris, five tandem ex persona
creditoris cessat beneficium excusacionis, meum autem thema speciale fatem esse,
& rationem praeципue habere nonnullorum casuum specialiorum vel alibi plane non
decisorum, vel certe controversorum adeoque magis aliquius spicilegii loco esse,
facile quisque perspiciet. Edidit quidem etiam REINHOLD SOMMER Region.
A. 1715. Diff. de fidejuss. beneficio ordinis non gaudenziis, sed praterquam,
quod molitus abit, quia omnem hanc materiam haec Dissertatio exhausat, non
nulla etiam, que ibi derprehenduntur, ita sunt comparata, ut nondum extra
omnem dubii aleam posita videantur.

III.

Quæ fuerit fidejussorum conditio antiquissima.

Priusquam ad ipsum hoc beneficium ejusque fundamentum &
rationem accedam, brevibus inquirendum videtur, in primam il-
lam fidejussorum conditionem, qualis ea fuerit ante introdu-
ctum à Justiniano beneficium ordinis, ut inde eo facilius judicari
possit, quid a Justiniano fuerit mutatum? Extitisse jam priscis
temporibus aliquam legem, qua fidejussor ante principalem de-
bitorem conveniri vetabatur, vix quicquam dubitaverit. (a) Et
licet illa lex vel universaliter non fuerit observata, vel postea certe
ex parte iterum in desuetudinem abierit, manserunt tamen ejus-
dem haud pauca vestigia in Digestis & in Codice. (b) An ve-
ro tale quid jam in LL. XII. Tabb. sanctum fuerit, nondum
certum est atque evictum, hinc qualis fuerit illa lex antiqua, in
medio relinquo. (c)

(a) Et quod talis lex extiterit, ipse Justinianus in Nov. 4. afferit, qui simul fatetur,
contenta hujus legis, ufu approbata non fuisse.

(b) Exempla vero habentur in iis, qui apud remp. pro magistratibus fidejusserant l. 3.
§. ult. de adm. rerum ad civit. pertinientium. Sic etiam aliquando ex sequitate alii
post alios erant conveniendi, nimirum v. g. plures tutores, magistratus, &c. l. 3.

§. 2. l. 39. §. 11. de adm. tut. l. 3. pr. deadim. rerum ad civit. pertin. L. 1. C. si tutor
vel Curator L. 6. C. arb. tut. l. ult. C. de div. tut. LAVTERBACH de benef. excusif. §. 9.

(c) Certe ex Ciceronis Epistola ad Atticum L. 16. Ep. 15. ad quam provocat Franzk.
Refol. L. I. Refol. 12. vix hoc probari poterit, hic enim locus plane nullam LLXII.
Tibb. mentionem facit.

§. IV.

Continuatio prioris Sphi.

Exitit igitur olim aliqua lex, quæ fidejussores ante principales debitores conveniri vetuit quidem, sed exceptis paucis casibus in defuetudinem ita abiit, ut ne quidem determinata ac certa ejus memoria remanferit, sed illa Legislatio a Justiniano demum ad usum revocanda videretur. Jure potius tum Digestorum tum Codicis fidejussores &que conveniri poterant ac principales debitores, interque hos & fidejussores erat correalis obligatio, adeo, ut in creditoris arbitrio esset, utrum prius convenire mallet: (a) Neque hoc ipsum abs re erat, ideo enim aliquis videbatur fidejussores accepisse, ut eo certius suum reciparet, in majorem scil. securitatem, & ut faltem minori incommmodo illud reciparet. Jam vero multum interesse poterat, an ab hoc potius, an ab illo suum consequeretur creditor? præterea etiam fidejussores simpliciter tales, de quibus milii heic sermo est, simpliciter & fine ulla conditione atque restrictione se obligaverant, (b) hinc etiam illis, licet vel ante debitorem principalem convenienterunt, non videbatur fieri aliqua injuria, conveniebantur enim ex sua conventione, in qua excusione praecedentem principalis debitoris sibi non reservaverant. (c)

(a) L. 51. §. 3. ff. de fidejuss. L. 56. pr. ff. mand. L. 2. L. 3. L. 5. L. 21. C. de fidejuss.

(b) Hinc multum differebat, & hodie differt fidejussor simpliciter talis a fidejussore indemnitatis, ille enim se simpliciter obligat, sine restrictione & conditione, hic autem faltem se obligat in illum casum, si creditor suum a principali consequi non potuerit; adeoque sub conditione, qua nondum impleta redi a creditori conveniri neguit. Illi igitur etiam veteri jure, & nondum introducto beneficio excusacionis, tunc erant a creditoris molesta, prius, quam principalis reus excusus erat. Obligatio enim eorum faltem conditionalis erat, adeoque hancenus suspensa, nec debitiore scil. nondum excusso creditori nata erat actio aduersus fidejussorem. L. 116. ff. de V. O. L. ult. pr. ff. de R. C. L. 21. ff. de solut. L. 6. ff. de Novat. L. 41. ff. de fidejuss. L. 2. C. de fidejuss. tut. Hi autem cum eorum obligatio, adeoque etiam actio, jam nata esset, nihil obstat.

obstat, quo minus statim conveniri possent. **LAVTERBACH** *Disp. de indemnatis fideiustiore*, c. 8. §. 37. seqq. Hinc etiam formula veterum erant distinctæ, in fideiustiore simplici formula hæc erat: *Fide tua esse jubes? Fide mea jubeo. Fide promitis? Fide promitto.* In fideiustiore autem indemnatis formula effe solebat. *Quanto minus a Tiro debitor exegifsem, taurum fideiubes?* **BARNABAS BRISONIUS** *Tr. de Formulis & solemnisibus Populi Romani verbis.* L. 6. c. 188. p. Edit. Bachianæ 149.

- (c) Ut enim nec alii correio debendi injuria sit, dum ex obligatione sua, quam in solidum contraxit, statim solus & omisso altero conveniatur, L. 4. C. de duob. reis L. 5. C. Si cert. pet. ita idem quoque de fideiustoribus, qui correaltere obligati erant, dicendum videbatur. Immo quod apud veteres etiam Germanos eorumque maximam certe partem fideiustores pariter fuerint obligati correaltere, nec beneficio ordinis sese tueri potuerint, multis legibus & auctoribus probat Schmid in tract. supra citato sect. 2. C. 3. §. 141. & seqq. id, quod etiam docet antiqua illajuris parameria Virgines inquit manu mārgen. **HERTIVS** in paroem. jur. L. 1. paroem. 94. & **EISENARDT** *Grundzige der Deutschen Rechte in Sprichwörtern* pag. 327. Et hodiensem multis in locis beneficium excusffionis locum non habere, v. g. inter Hispanos, in Delphinatu, atque nonnullis Italie districtibus &c. probat **HERING** in tract. de fideiustoribus p. I. C. 17. n. 256. Et quod idem obtineat jure Austriaco, Norimbergeni, Jüttico, Dithmarsico, Hamburgensi, aliisque, probat latius **SCHMID** in alleg. tract. §. 49. & seqq.

§. V.

Quæ fuerit jure Justiniane?

Tandem Justinianus jus antiquum iterum restitut, & cum ante privati certe fideiustores pro lubitu creditorum, vel ante vel post debitorem principalem conveniri possent, noluit illos amplius conveniri nisi excusis prius principalibus debitoribus (a) & ita, cum in nonnullis saltem calibus jus antiquum obtineret, hoc prorius revocavit ad usum, instauravitque. (b)

(a) Nov. IV. c. 1. & Ayth. Praefentetur C. de fideiust.

(b) Primus itaque Author hujus sanctionis non dici potest justinianus, qui quippe antiquum saltem jus & obsoletum restitut. Licet etenim, quatenus antiqua restauravit, & forte auxit, recte Author dici queat eodem vel plane majori jure, quo se Authorem legitimationis per subsequens matrimonium proficitur. I. 5. l. 7. l. 10. C. de nat. lib. Nov. 39, c. 7. 8.

§. VI.



§. VI.

Æquitas hujus Sanctionis.

Fundatum est hoc beneficium in ipsa naturali æquitate. Nulla enim ratio esset sufficiens conveniendi fidejussorem ante principalem debitorem, sed potius major est ratio conveniendi principalem debitorem, cuius causa tamen principaliter & ex intentione agentium debitum contractum est, & ad quem utilitas ex contractu vel negotio principaliter pertinet. (a) Et, cum hoc modo creditor plane nullum damnum patiatur, sive debitorem principalem sive fidejussorem prius excutiat, contra vero fidejussor, si prius excutiat, inani adficiatur molestia, cum solvere cogatur, quod non accepit, & quod solvit, deinde per novum processum a debitore repetere teneatur, si scil. fidejussio facta non fuerit donandi animo. Immo hoc modo vel ipsa resp. inanibus atque non necessariis litibus cumularetur, atque obrueretur. (b) Supponitur enim debitor solvendo esse, & creditor suum ab eodem æque commode consequi posse, ac a fidejussore, nulla igitur, introducto beneficio excussionis, creditor iuratur injuria, neque vero debitori fit injuria, cum solvat saltem, quod debet, immo plus rationis sit, ut ipse solvat, quam ut fidejussor solvat.

(a) Eandem naturalem rationem agnoscit ipse Imperator in alleg. Nov. 4. cap. 1. verb. neque negligens debitoris fidejussoribus molestus sit, sed veniat primum ad eum qui aurum accepit, debitumque contraxit, & si quidem inde receperit, ab aliis abstineat, quid enim ei in extraneis erit, a Debitore completo. Apparet enim ex verbis novellæ citatis, supponere imperatorem, nullam rationem esse, cui molestia creaturet fidejussori, & hanc molestiam fore inanem, cum enim a principali debitore suum recipere possit creditor, ita futurum esse, ut sine ratione sufficiente conveniantur fidejussores; immo plus rationis esse, ut principales debitorés conveniantur, qui scil. ipsi contrixerint, & ad quos uti ait, aurum pervenit, vel qui principaliter ex isto negotio utilitatem percipiunt.

(b) LAVTERBACH Diff. de benef. excuss. §. 1. adal. l. o. de except. rei judic. l. 21. R. C.

§. VII.

Justinianus tamen non plane sustulit correalem fidejussorum obligationem.

Justinianus igitur concessit quidem fidejussoribus beneficium excussionis, sed saltem per modum alicujus exceptionis, neque penit-

¶ ¶ ¶

penitus abrogavit correalem illam obligationem, qua fidejussores jure romano creditoribus adstringebantur. (a) Cum enim Justinianus correalem hanc obligationem fidejussorum & actionem creditorum non sustulerit, heic obtinet regula, quod ea, quæ novis legibus non sunt mutata, salva manere debeant, (b) & quod jura nova atque correctoria stricte sint interpretationis (c), & cum heic fidejussores simpliciter tales subintelligantur, qui sine restrictione & limitatione se obligarunt, ne potuit quidem facile Justinianus illam obligationem tollere, cum ex ista conventione creditoribus jus jam quæsumit fuerit, quod salva justitia iisdem adimi haud poterat. (d) Immo ipse Justinianus per mox dicenda, non absolute voluit fidejussores post principalem reum conveniri, sed saltē in nonnullis casib⁹, jam vero si actio suisset sublata, vel certe non nata, nisi excusso debitore principali, his casibus exceptis, non potuisset institui. Idem etiam facile a posteriori probari poterit, quia huic beneficio non est locus, si eidem expresse vel tacite renunciatum fuerit, nec si exceptio non fuerit opposita, judex ejus rationem potest habere, cum enim omnibus his in casibus fidejussor statim conveniri queat, non potest non actio subsistere & nata esse alias enim creditor ageret sine actione, quod esset absurdum. (e) Hinc quin etiam hodiernum differentia haud levis intercedat inter fidejussorem simpliciter talem, & indemnitatis, nemo dubitabit. (f)

(a) Non igitur actio ipsa sublata est, sed saltē exercitium ejusdem hactenus est suspensum, donec debitor principalis fuerit excausus, & ante huius excausationem creditor non nulliter, & sive actione, sed saltē premature agere videtur. *Liber de benef. excus. §. 45.*

(b) *L. 26. l. 27. l. 28. de LL. l. 35. C. de inoff. test. l. 27. C. de testam. Cap. I. de Constit. in sexto. B. D. SCHWEIDER in Conf. Tub. Vol. 6. Conf. 61. nro. 55.*

(c) *Novella 27. pref. in fine. nov. 118. cap. 2. Quod enim correuum non est, cur stare prohibetur? l. 32. C. de adpellationibus. Textor ad Receff. Imp. noviss. Diff. 14. Th. 78.*

(d) *l. 11. ff. de R. f. l. ult. ff. de past. PETR. ANT. DE PETRA de jure quæsiz non tollendo cap. 24. B. D. SCHOEPF in Conf. Tubing. Vol. 9. Conf. 29. n. 27.*

(e) *Sine actione enim nemo in iudicio agere potest, hinc etiam exceptio actionis non competentis ejus est naturæ atque indicis, ut omnem agentem statim a iurine juri dicil*

dicii repellat l. 6. §. ult. de negot. gest. l. 9. §. 3. de adm. & per. tut. Vnde etiam judex ex officio & non imploratus hanc exceptionem supplere, atque auctorem repellere potest. GRASS. in collar. jur. civ. cum R. J. secl. 10. §. I. pag. 470. & seqq. IDEM in prax. aut. mod. act. civ. & prator. cap. I. secl. 2. §. 1. B. D. SCHOPPE in Conf. Tub. Vol. 9. Conf. 2. n. 33. & seqq.

(f) Indemnitatis enim fidejussorum ipso jure tutum esse, dum scit, principali debitorum nondum excusso, Creditori nulla adhuc quaesita est actio, nec ea adhuc est nota, extra dubium est. Condicio enim pendens omnem suspendit obligationem. Hinc & conditionales dicuntur creditores, quibus nondum competit actio, est autem competitura, vel, qui spem habent, ut aliquando competit. I. 54. ff. de V.S. L. 14. §. 1. ff. de novat.

§. VIII.

Quousque fidejussores ad beneficium excussionis recte provocent?

Cum igitur ex antecedentibus adpareat, Justinianum vetrem illam fidejussorum correalem Obligationem non sustulisse, sed saltem ejusdem exercitium restrinxisse. Queritur jam, quo usque igitur fidejussores hodienum vi correallis illius obligationis conaveniri queant, ita ut ad illud beneficium novae constitutionis sine excussionis & ordinis provocare nequeant, vel ad illud recte provocent? hoc ipsum adparebit ex ipsa Imperatoris ratione, qua commotus fidejussoribus beneficium excussionis concepit. Ratio ab Imperatore ipso agnita atque adprobata est illa ipsa regula æquitatis, quod sine ratione sufficiente singularis molestia fidejussoribus non sit creanda, quia ubi per conventionem debitoris principalis creditoris conditio non sit deterior, hic usque hoc ipso, quod creditorum a debitore repetit, creditoris conditio non sit deterior, eousque etiam, si prætermisso debitore principali fidejussorem adiverit, hic recte provocat ad beneficium ordinis. Dum enim hoc ipso, quod debitorem convenient, ejus conditio non sit deterior, nulla est ratio sufficiens, fidejussorem incommmodo aliquo adscendi plane superfluo & haud necessario, hocque ipso subest ratio Imperatoris, qua motus, hoc beneficium introduxit, recte igitur fidejussor illo sese tuetur. Contra vero: Quocies

¶ ¶ ¶

12

ties creditoris conditio, si a debitore suum repetere teneretur, deterior fieret, toties etiam fidejussori haud prodest beneficium ordinis. Non enim indistincte Justinianus concessit hoc beneficium, sed saltem tum, cum creditoris nihil intereat, utrum conveniat debitorem principalem, an fidejussorem? ubi igitur cessat ratio, ibi etiam non potest non cessare legis dispositio. Præterea ipse Julianus non eo saltem casu, quando debitor principalis non est solvendo sed etiam absente debitore licet forsitan solvendo esse queat, negat, locum esse huic beneficio, ipseque addit rationem, acerbum enim esset, creditorem mittere alio, cum mox intercessorem, fidejussorem &c. possit exigere. Ipse igitur allegat incommodum creditoris tanquam rationem, cur illis in calibus beneficio ordinis locus esse haud possit, & agnoscit hanc propositionem, quod ubi sine acerbitate atque incommodo suum creditor a debitore consequi nequit, vel quod tantundem est, ubi ejus interest, vel ejus conditio deterior fieret, beneficium ordinis cesseret.

§. IX.

Continuatio prioris paragraphi.

Quotiescumque igitur non nisi majori cum incommodo creditor suum a debitore consequi potest, quam a fidejussore, toties recta via sine formidine exceptionis ordinis adire potest fidejussorem. Non vero heic plane quodvis sufficit incommodum, (a) vel tale, quod plerumque cum omni debiti exactione solet esse coniunctum, alias enim nunquam fere fidejussor hac exceptione secessueri posset, sed tale requiritur, quod rarius coniunctum esse solet cum debiti repetitione, vix enim aliquod datur, cuius repetitio certe non cum aliqua coniuncta fore molesta, sed tale requiritur quod aliquo modo extraordinarium est; sic nec sufficit quæcunque debitoris morositas, quoisque ea mediis ordinariis coerceri potest. Unde facile apparet, hoc ipsum incommodum, quod jam creditor actione in judicio instituta, suum a debitore persequi debcat, non sufficere, ideo enim comparata & in promptu sunt legitima remedia, & semper tacite supponitur, aliquem mediis ordinariis usum fuisse vel sine majori & extraordinario quo-
dam

dam incommodo uti non potuisse. Unde tum demum fidejusserem recte conveniri affirmat Justinianus, si creditor sum vel in totum vel pro parte a debitore consequi non potuerit, id est, adhibitis quoque remedii ordinariis, & excusso etiam, quando opus erit, judicialiter debitore.

(a) Hinc nec Justinianus indistincte omnem absentiam sufficere statuit, sed eam tantum, quae aliquis est momenti, ita, ut ob hanc moram creditoris singulariter interesse possit, non igitur talem, qualis sepius accidere potest, hinc etiam fidejusseri integrum reliquit, ut a judice peteret certum terminum, intra quem debitorem fefeller posset. *all. nov. 4. c. 1.* Unde facile intelligitur, tale hec Imperatorem supponere incommodum, quale non frequentius & ordinarie cum debiti exactione est coniunctum, sed quod rarius est, & aliquo modo extraordinarium. Hinc etiam impedimentum aliquod magnum difficultusque removendum requirit supra laudans Schmid in cit tract. sect. 2. C. 2. §. 114. & sqq. Quale non est conventio debitoris principalis coram judge.

§. X.

Quando minus recte Fidejusser provocet ad Beneficium ordinis.

Tum igitur fidejusser minus recte provocat ad beneficium ordinis, cum *a)* vel debitor iam jam excussus & non solvendo est, vel *b)* cum solvendo quidem est, at non sine molestia conveniri potest, non solvendo esse potest, sive in totum, sive pro parte. Vtique tamen casu fidejusser recte conveniri potest: *priori casu quidem in solidum*, posteriori autem pro illa parte, in qua defecit, debitor principalis. Contra vero non sine molestia conveniri posse videtur debitor principalis, si ita comparatum sit illud incommodum, ut *probabiliter creditor sine fidejusso non credidisset*, si ipsi hoc incommodum suisset cognitum, & tale, quod non forte *huius saltus vel illi nimis delicato creditor molestem futurum efficit*. Hujusmodi si praestō sit *incommodum*, adeoque *extraordinarium*, nec cum omnis regulariter debiti exactione vel frequentius certe debitoris principalis, fidejusserem recte convenit creditor. (a)

(a) His suppositis, jam facile erit intellectu, ad quid judici sit recipiendum, circa arbitrium, an tale impedimentum vel incommodum magnum sit & sufficiens ad

conveniendum statim fideiustorem, an non? Certum enim est, in aestimanda gravitate illius incommodi vel impedimenti iuris primum redire ad judicis arbitrium, ex circumstantiis arbitratur, an sufficiens sit, nec ne? Schmid all. Tr. seft. 2. cap. 2. §. 115. Interim tamen judicis hac in re arbitrium ad aliqua normam adstratum esse oportet, ne minus vagum sit.

§. XI.

Transitus ad casus speciales.

Hisce praemissis facile jam, vel certe non adeo difficulter resolvi poterunt quæstiones forte specialiores. Constatui enim tenere resolutionem nonnullorum casuum, quos mihi vel alibi inveneri non licuit, vel qui dubii certe sunt, & resolutu paulo difficiliores. Non igitur omnes propositurus sum casus, quod vix possibile esset, immo ne omnes quidem dubios & controversos, in aliis igitur remitto Lectorem ad Eos, qui de beneficio excusonis, data opera scriperunt, sed nonnullos tantum vel non facile alibi obvios, vel difficiliores & forte controversos. (a)

(a) Plurimos hujusmodi casus, quibus locus non est beneficio ordinis collegerunt B E R L I C H. P. II. Concl. 24, ubi non multo pauciores, quam centum recenset casus, quorum tum multi adhuc dubii sunt, & H E R I N G. Tr. de Fideiustoribus. P. I. c. 27. n. 186, sqq.

§. XII.

Quæstio Prima.

Supra dictum, fideiustorem minus recte provocare ad beneficium excusonis, si α) vel debitor iamjam excusus, & non solvendo est, vel β) si solvendo quidem est, at non sine molestia conveniri, & creditor suum ab eo consequi potest. Hinc nonnullas iam formabam quæstiones, quæ ex supra allegatis principiis forte haud adeo difficulter poterunt resolvi. Quæstio prima hæc est: si debitore excusso, bonisque cedente, creditori termini longiores assignentur, ita, ut intra longum tempus suum a debitore consequi nequeat, queri potest, an creditor omisso principali, statim ad fideiustorem venire queat? supra jam dictum, Imperatorem Justinianum, post introductum beneficium ordinis, correalem fideiussorum obligacionem minime penitus abrogare, sed tantum ejusdem abusum,

B 3

qui



qui olim frequens erant, coercere atque impedire voluisse quin igitur Creditoris actio nihilominus salva maneat, nullum est dubium. Hoc itaque in decidenda hac questione suppono. Questionem autem ipsam affirmandam esse puto, & quidem ex rationibus sequentibus. Probari hoc potest ex ipsa nov. 4, ubi Imperator exceptionem aliquam facit a regula, per verba: *Si vero principalem abesse contigerit, acerbum erit creditorem mittere aliud, cum possit intercessorem, aut mandatorem, aut Sponsorem mox exigere.* Ipse itaque Imperator casum absentiae debitoris excipit, & quando debitor absens est, beneficium ordinis cessare affirmat, debitore intra certum temporis spatium a judice determinatum a fidejuro non exhibito. Jam vero si propter solam absentiam, & quando solutio creditori facienda in iusto longius temporis spatium differtur, ex ipsa Imperatoris mente hoc beneficium cessat, idem ex eadem ratione, dicendum erit, quando creditor praefens quidem est, sed non aliter nisi post longum temporis spatium, atque præterea per particulares exiguae forte summae solutiones suum a debitore consequi potest. Quid enim magis acerbum atque molestum esse potest creditori, quam per tantum temporis spatium pecunia sua carere debere, ex qua forsan ipsi magnum adhuc sperandum erat emolumendum? Accedit etiam hoc, quod incommodum creditoris ita sit comparatum, ut plane extraordinarium sit, non cum exactione cuiusvis debiti conjunctum, tali enim incommodum, quod non cum cuiusvis debiti exactione est conjunctum, sine dubio cessare facit beneficium excussionis. Ex generali enim illa regula supra jam tradita, beneficium ordinis toties cessat, quoties res debitoris ita sunt comparatae, ut sine molestia extraordinaria & haud levi suum a debitore recipere nequeat, hoc enim in casu beneficium excussionis cum in speciem aliquam iniquitatis incideret, locum habere nequit. (a) Et Brocardicum Juris heic obtinet: Quod ea, quae difficulter fiunt, perinde habeantur, ac si plane fieri non possent. Licet enim Imperator ita saepius allegata novella absentiae tantum mentionem fecerit, nihilominus tamen verosimillimum est, eum non solum absentiam, sed omnes reliquos casus, ubi vel eadem, vel major plane æquitatis ratio adest, comprehendere voluisse: Præterea Ddres in eo unani-

unanimiter consentiunt, sub absentia non tantum verè & proprie' talem, sed omnem conveniendi difficultatem in genere comprehendendi. Fidejussor itaque hoc in casu statim conveniri poterit regis tamen ipsi prius a creditore actionibus, antea enim ad folyendum non potest compelli.

(a) Ltb. de benef. excuss. §. 42.

§. XIII.

Quæstio secunda.

Vt maxima eridorum pars debitori partem debiti remittere potest, ita, ut reliqui deinde creditores eandem partem aliquotam debitori vel inviti remittere teneantur, ita (a) notum est, dari etiam tale pactum præjudiciale dilatorium, ita ut si maxima creditorum pars debitori dilationem concedat, & reliqui expectare teneantur. Quæreri igitur recte potest; quid si maxima pars creditorum debitori dilationem concedat, an interim creditor, qui hoc casu vel invitum reliquorum pacto stare tenetur, convenire possit fidejussorem? Ad decidendam hanc quæstionem ante omnia necessarium erit, ideam pacti dilatorii paullo acutius determinare, ut eo melius constare possit, utrum hoc in casu fidejussor conveniri possit nec ne? Est autem pactum dilatorium nihil aliud, quam conventio aliqua inter creditorem & debitorem inita, de differenda solutione vel ad certum & determinatum temporis spatium, vel in genere eousque donec debitor ad meliorem venerit fortunam, atque a pacto remissorio in eo differt, quod in hoc pars debiti aliquota remittatur, in illo autem nulla pars debiti remittatur, sed saltē solutionis dilatio concedatur. Ex hac ipso definitione adparet, hoc pactum magnum asserre creditori præjudicium, neque illud nisi in summa necessitate a creditore iniri, Sic enim creditor pecunia sua, ex qua interim magnum percipere potuisset emolummentum, carebit, adeoque revera ratione temporis minus recipit, quam dedit. Præterea regula supra jam tradita huc quoque applicari potest, quod, si creditor absque notabili incommodo suum recipere nequeat, beneficium excusionis cesset. Ex his itaque satis luculent-

culenter adparet, hanc questionem pariter esse adfirmandam. Quando enim creditor ex ipsa Imperatoris mente propter solam absentiam, & ideo, quia per hanc absentiam solutio nimis diu protrahitur, fidejussorem statim convenire potest, æque hoc dici poterit de hoc nostro casu. Tale enim hoc est incommodum quod statim in oculos incurrit, atque manifestum est. Et id quod modo dixi de pacto dilatorio, suo modo etiam dicendum erit de pacto præjudiciali remissorio ipso, ob eandem rationem. (b) Et hoc enim casu fidejussor statim conveniri potest, certe novo jure, quoad illam partem, quam a debitore principali consequi haud potuit creditor, cum olim statim insolidum conveniri potuisset. Hoc casu enim constat, debitore pro parte haud esse solvendo, quo casu per se semper cessat beneficium excussionis. Quia tamen vi hujus ipsius pacti debitor ad solvendum totum debitum non est obligatus, hinc etiam fidejussor, licet totum solverit, tantum partem a creditoribus non remissam a debitore actione mandati vel negotiorum gestorum repeteret potest argumento L. 7. de pact. Hinc & eadem Lex probat pactum dilatorium fidejussori non prodesse. Obstare tamen aliquo modo videtur sententia huic paulo ante a me prolatæ, quod exceptio pacti debitori competens, alias etiam competit fidejussori. Jam vero, si pactum etiam prodest fidejussori, sequitur etiam pactum dilatorium eidem prodesse. At respondeo ad hoc dubium, quod haec sententia vera sit eo tantum casu, quo creditor in pactum consentit, hinc statim adparet, quod si invitus pactum ab aliis initium servare tenetur, fidejussor non possit uti exceptione hujus pacti. L. 58. §. 1. mandat. Hoc itaque pacto non obstante, fidejussor hoc casu statim poterit conveniri a creditore. Deinde etiam obstat, quod tamdiu exceptio ordinis profit fidejussori, quamdiu spes aliqua supereft, fore, ut debitor creditori aliquando possit satisfacere. Quando autem dilatio conceditur debitori, interim ad meliorem poterit venire fortunam, adeoque debitori satisfacere. Verum enim vero ex supra dictis jam adparet, spem tantum aliquam longinquam atque remotam, fore, ut aliquando debitor ad meliorem veniat fortunam non sufficere posse ad excludendum beneficium excussionis, atque spes haec ipsa jam satis mole-

sticæ atque incommodi creat creditori, & quamvis si debitor absens sit, multum spei adhuc supersit, fore, ut debitor revertatur, atque creditori satisfaciat, nihilominus Imperator beneficium ordinis cessare statuit, ergo idem etiam de hoc casu dicendum erit, ex eadem ratione,

(a) L. 7. q. 19. L. 8. de pact.

(b) L. 11. de prejud. pact. remiss. majoris partis creditorum §. 49. STRYK de abusa
rescripti moratori. c. 2. §. 3. L. 58 §. 1. mand. ubi expresse dicitur, quod si major
creditor pars consentiat in remissionem aliquius partis debiti, & illud a præ-
tore fuerit decretum, ut creditores portionem ab hereditibus ferant, creditorque,
quo absente pactum hoc cum debitore initum fuit, mandatorem convenierit, man-
dator non eandem, quam principalis debitor habeat exceptionem, nisi creditor
quoque praefens apud prætorem consenserit. Lex itaque ipsa afferit, fidejussori non
prodest eandem exceptionem, que debitori principali, ex hac ratione, quia cre-
ditors, de quibus hic sermo est, non consentiunt in hoc pactum.

§. XIV.

Quæstio tertia.

Fieri interdum potest atque fæpius solet, ut debitoribus si-
ne sua culpa ad inopiam redactis, concedat rescriptum morato-
rium vel princeps & status cuiusque territorii, vel Imperator
in toto imperio, quod nihil aliud est, quam beneficium debito-
ribus citra culpam ad inopiam redactis & adversa fortuna facul-
tatis lapsis, superioris rescripto concessum, ne intra certum
tempus debita sua creditoribus solvere compelli possint. (a). Et
hinc queri potest, an concessio hoc beneficio debitori, fidejussor, si
quis datus fuerit, gaudeat beneficia ordinis? Supra jam dictum, be-
neficium ordinis toties fidejussori denegari, quoties non sine no-
tabili incommodo & plane extraordinario suum a debitore reci-
pere potest creditor. Ex hac itaque regula applicatio ad casum
præsentem non admodum erit difficilis. Rescriptum moratorium debi-

C

debitori concessum magnum atque extraordinarium creare creditori incommodum, nemo facile negaverit. Quando enim creditor, qui forsan alias statim solutionem exigere potuisset, per hoc rescriptum impeditur agere adversus debitorem, magnum patitur praejudicium. Nihil enim gravius atque molestius esse potest, quam si pecunia per tantum temporis spatium carere debet, ut multo minus emolumenntum, quam alias si justo tempore fuisse soluta pecunia, exinde percipere possit: & si propter solam absentiam, vi ipsius nov. 4. creditor fidejussorum, non excusso debitore principali, statim convenire potest, eadem certe erit ratio in rescripto moratorio. Ex his itaque adparebit, hanc quæstionem esse negandam. At dubitari tamen aliquo modo potest, annon fidejussores eodem beneficio debitori principali concessio etiam uti possint? sed cum hoc beneficium tantum personale sit, & ne quidem in hæredes debitoris principalis transeat, statim adparebit, illud multo minus ad fidejussores esse extendendum. (b)

(a) Confirmare videtur hanc sententiam L A V T E R B A C H Diff. de Beneficio defr. pri mortarii c. 4. §. 17, simul diffridentes allegans Carpzovium aliosque.

(b) Nec legali auctoritate haec sententia destituitur. Arg. L 12. jud. solvi ubi dicatur, si reus post judicatum solvi ab eodem datum in magistratu sit, nec invitus in iuris vocari possit, tamen nisi res boni viri arbitratu defendatur, fidejussores tenentur. Sensus hujus legis non aliud esse potest, quam hic, si debitor talis sit persona, quæ vel ob dignitatem vel aliam quamcumque ob causam non nisi difficultime convenienter potest, fidejussorem conveniri, nec Exceptionalem personalem debitori competenter & fidejussoribus competere. Jam vero, quod rescriptum moratorium talis sit Exceptio personalis nemo invicias iverit.

§. XV.

Quæstio quarta.

Hactenus de specialibus nonnullis casibus, in quibus ratione debitoris beneficium hoc cessat. Nam in genere queri potest, quid.

si debitor personali exceptione tutus sit? Non igitur heic loquor de
 reali exceptione, has enim etiam fidejussoribus semper prodesse,
 nemo dubitaverit. Ex antecedentibus docisio hujus quæstionis
 haud difficilis erit. Eadem enim principia quæ prius stabilita
 fuerunt hoc quoque sunt reducenda. Quando enim debitor ex-
 ceptionem personalem creditori opponere potest, nemo dubitat,
 ejus conditionem longe deteriore fieri, atque incommodum
 hoc ita esse comparatum, ut si illud creditor prævldisset, plane
 non absque fidejussore crediturus fuisset. Accedit, quod bene-
 ficium hoc vel ideo hoc casu cessare debeat, quia personales ex-
 ceptiones ejus sunt naturæ atque indolis, ut plane non ultra
 personam debitoris extendi queant, ita, ut ne quidem hære-
 dibus debitoris principalis proflint, multo minus itaque fidejus-
 sori. Quando autem hoc casu beneficio ordinis gaudere pos-
 sent fidejussores, illis hæc exceptio prodesset, quod foret con-
 tra intentionem atque mentem legislatoris. Ex his itaque fa-
 tis sufficienterque adparebit, quæstionem supra propositam esse
 negandam. (a) Interim tamen aliquando etiam hoc casu fide-
 jussori beneficium ordinis vix denegari poterit, quando nimi-
 rum debitor ab ipso creditore atque cum consensu ejusdem
 exceptionem tales impetravit. Non enim factum creditoris,
 qui tales debitorum sua sponte indulxit, tum noce-
 re poterit fidejussori, tamquam tertio innocentii. Sic accidere
 posset, ut ipse creditor cum debitore pactum dilatorium iniret,
 vel pactum de non petendo ad certum tempus, vel etiam dum
 ille vivat, tum enim proprio suo facto fidejussoris conditionem
 deteriorem facere nequit. Sin autem ponatur casus, debito-
 rem principalem v. g. habere beneficium competentiæ, quod
 non ex pacto cum creditore natum est, sed infcio, & forsitan sæ-
 plus invito illo competit. tum nihil obstabit, quo minus cre-
 ditor statim convenire possit fidejussorem, neque hic sepe pote-
 rit tueri hac exceptione. (b) Obstat quidem aliquo modo, quod
 ideo tamen fidejussori haud denegandum sit beneficium ordinis,
 licet debitor principalis habeat v. g. beneficium competentiæ,
 quoniam vi ipsius concessionis Imperatoris tantum juris obtinuit

¶ ¶ ¶

fidejussor, ut prius excuteretur debitor principalis, qualis etiam ille est, qui vel exceptione competentiae vel quacunque alia exceptione personali uti potest adversus creditorem. At respondetur ad hoc dubium, non quidem negandum est, fidejussori beneficium ordinis a Justiniano suisse concessum, at ipse tamen Imperator in saepius allegata nov. 4. hanc thesin limitavit, si creditor aequa commode suum a debitore principali consequi posset, ac a fidejussore, quod revera plane aliter se habet in praesenti casu.

(a) 1. 7. ff. de except.

(b) Aliud dubium hoc est: Si eo casu, ubi debitor sub conditione obligatus est, fidejussor pure non debet, sed Creditorem agentem repellere potest, sequitur, ut eo etiam casu, ubi debitor personali exceptione tutus est, fidejussor gaudeat beneficio excusacionis: Eadem enim videatur esse ratio hoc casu, quae in antecedentibus: Quia aequa difficiliter talis debitor obligatus sub conditione conveniri potest, ac ille, qui exceptionem pasti dilatorii vel remissorii opponere potest: Expeditare enim debet creditor implementum conditions, quod a mero penderet casu. At respondeo ad hoc dubium obstat aliqualiter visum: Aliam plane rationem esse inter debitorem exceptione personali gaudentem & inter debitorem conditionaliter obligatum, contra illum enim creditor habet quidem actionem ipso jure, sed ejus exercitium faltem per oppositam exceptionem impeditur. Hoc itaque casu si fidejussor conveniri non posset, creditoris actio, que ipsi competit, plane inanis atque inutilis faret. Contra hunc vero qui conditionaliter obligatus est, creditor plane nullam habet actionem pendente hac conditione quia pendente conditione & fidejussoris obligatio pendet. Vbi enim nulla est actio sine nullum principale debitum, ibi neque accessorium subsistere potest: Quia accessorium semper supponit principale aliquod.

Vid. L. 3. §. 7. de fidejuss.

§. XVI.

Quæstio quinta.

Haud raro creditoribus sive in concurso creditorum sive aliquando extra illum solutionis loco aliae res, praeter pecuniam à ju-

à judice assignari , atque in solutum dari solent , fieri aliquando hoc posse , si alia solvendi media non habeat debitor , nec præcise id , quod in obligatione est , solvere queat , extra dubium est . (a) Hinc quæstio oritur : an creditor teneatur præcise acceptare has res in solutum datus , an vero illis repudiatis , statim convenire possit fidejussorem , cessis eidem juribus ? magnum ex hujusmodi assignatione in creditorem redundare incommodum , extra dubium est , cum aliud teneatur accipere , & saepius plane res vilioris pretii accipiat , quas vix ac ne vix quidem vendere potest , immo plerumque hæ res jam antea sub hasta venum expositæ sunt , & vendi non potuerunt , quia in summum subsidium demum hæc assignatio locum habet . Hoc igitur incommodum sine dubio non est leve , & præterea extraordinarium , quod plane non cum debiti exactione ordinarie est coniunctum . Aequillima igitur videtur illorum sententia , qui hoc casu beneficium ordinis cessare statuunt , & statim fidejussorem cesis prius actionibus conveniri posse contendunt . (b) Interim tamen hanc ipsam sententiam ad illum easum restrin- gendam putaverim , quo creditor assignationem factam nondum agnovit & acceptavit , (c) quia tum per hanc approbationem dationis in solutum totum debitum extinctum est , & fidejussor ex ipso a sua obligatione liberatus est , cum creditor tum id acceperit , quod in obligatione fuit , & volenti non videatur facta injuria . (d) Idem etiam saepius locum habere potest , tum , cum creditori difficuler vel plane non exigibilia assignan- tur nomina . Quodsi enim beneficium ordinis cessat , quoties suum creditor non sine magno & extraordinario incommodo consequi potest ab ipso debitore , idem etiam creditori non pos- terit impedimento esse , quo minus contra fidejussorem agat , si suum non nisi difficuler a debitoribus assignatis consequi potest .

(a) Hinc etiam dicitur datio in solutum necessaria , vel additio in solutum ab judice facta . BRUNNEMANN in proc. conc. cap. 7, §. 14, D. HARPPRECHT in resp. 92, nro. 287, BARDILI de judic. conc. univ. cap. 2, §. 5. Et o. Magnif. Dn. D. SMAL- CALDER vel postea Prenob. Dn. WEISS Lc. de judiciali bonor. obvar. assign.

(b) BERLICH part. 2. concl. 24. nro 113. JOH. LVD. SCHMID de fidejuss. princ. oblig. sect. 2. cap. 2. §. 88. sqq. p. 93. &c. seq. Hinc & idem dicendum, si bona emtorem difficulter & non nisi post longum tempus inveniant. SCHMID de l. §. 92. pag. 96. Ibiue allegatus Colerus & Hering.

(c) apprime confirmat hanc thesin l. 15. §. 3. ff. de re judic. ubi creditor sua sponte hujusmodi res in solutum à judge assignatas acceptans dicitur pacto transegisse de credito, ita, ut totum creditum videatur esse solutum, nec quod superfluum debitorem, qui forte ad meliorem fortunam pervenit, convenire amplius possit: Hinc etiam eo ipso fidejussor liberatus videtur. Suadendum igitur erit creditori, hoc casu ut vel statim priusquam hujusmodi nomina vel res acceptet, fidejussorem conveniat, vel certe in ipsa acceptatione jura contra fidejussorem competentia sibi reservet.

(d) l. I. in fine ff. de A. E. V. L. 14. §. 9. de ædit. edit. l. 145. ff. de R. J. capo 27. de R. J. in Vlso.

(e) Singulare jus in Ducatu Megapolitano locum habere, vi cuius creditori bona addicuntur, si emtorem haud invenerint, ad percipiendos saltem fructus, donec tandem emtor existat, tradit BECMANN in Diff. de taxat. &c. accept. in solutione interimystica prædiorum debitoris in concursu. Quin igitur hoc quoque casu creditor, si fidejussorem habeat, eundem statim convenire possit, nullum est dubium, cum incerta sit venditio, eoque incertior, quia in ipsa subhaftatione bona illa supponuntur non invenisse emtorem, & solutio ex fructibus successiva maximo afficit incommodo creditorem.

§. XVII.

Quæstio sexta.

Absentia debitoris omnium judicio ex ipsa Nov. 4. c. 1. habetur iusta cnusa, propter quam cessat beneficium ordinis. At! Cum absentia sit varia, quæstio inde oritur: Qualis heit requiratur absentia ad excludendum hoc beneficium? Non heic distinguendum esse inter absentiam sive laudabilem, sive indifferente, sive vituperabilem, neque etiam inter absentiam necessariam

riam & voluntariam, vel ex hoc solo patet, quia in omnibus
 hisce absentiae speciebus eadem est ratio inuitu creditoris, cum
 semper hæc absentia in locis diffitis & remotis haud leve in-
 commodum fecum ferat, & per eam solutio differatur, atque
 difficilior reddatur; si enim vel maxime ponamus, laudabilem
 absentiam, sive necessariam, sive voluntariam, hæc ipsa tamen
 absentia tertio creditori non potest inferre iniquam conditionem,
 & ejus causam deteriorem reddere, & hoc ipsum incommo-
 dum magis nocere debet fidejussori, qui in solidum est obliga-
 tus, quam creditori, qui, ut evitaret has molestias, fibi
 fidejussoribus prospexit (a) At! de hoc dubitari posset, an
 absentia quævis etiam ordinaria sufficiat, ita, ut quotiescum-
 que debitor alienæ jurisdictioni subest, eo ipso statim cessef be-
 neficium ordinis? sunt quidem, qui, non sine summa specie,
 hanc quæstionem adfirmant, (b) eo, quod in jure absens ille
 videatur, qui nobiscum non in eadem provincia domici-
 lium habet. (c) At! quod pace Virorum Celeberrimorum dixe-
 rim, non universaliter vera, immo potius neganda mihi vide-
 tur hæc quæstio. Non enim regulariter cum majori molestia con-
 juncta est conventio alterius, licet sub aliena jurisdictione vi-
 vat, modo judex non sit justo morosior, quod tamen heic non
 præsumitur, nec hoc ipsum quadrat saltē in judicem extra-
 neum, sed idem etiam locum habere potest in judice commu-
 ni. In extraneo igitur qua tali, non est ratio singularis vel
 præcipua molestia metuenda, si scil. ille non nimis remotus sit,
 nam tum ob aliam rationem cessaret beneficium ordinis. Ne-
 que etiam hoc incommode est extraordinarium, sed ordinaria-
 rum, semper enim creditor tenetur prius tentare convenire de-
 bitorem apud judicem, si conventio hæc non cum singulari &
 extraordinaria molestia conjuncta sit, quam quidem suum a fi-
 dejussore repetrere possit. (d) Interim tamen fieri aliquando pos-
 se, ut hoc casu beneficium excussionis esset, haud negaverim.
 Si forte ille judex extraneus, vel remotior sit, vel difficilior,
 & justo morosior, vel & si forte statim ab initio ideo fidejusso-
 rem acceperit creditor, ne cum debitore coram alieno judice
 litigare

¶ ¶ ¶

litigare teneatur, id, quod ex circumstantiis erit judicandum. e)

(a) LENZ DISS. VITEMB. MDCCCLII. de beneficio ordinis. §. 72.

(b) BERLICH CONCL. PRACT. P. II. Concl. 24. n. 39. laud. Joh. Ludw. SCHMID
cl. Ir. scit. 2. cap. 2. §. 121. p. 132.

(c) L. ult. C. de prescript. longi temp.

(d) In hac sententia sunt praeter SICHARDVM, CYPRIANVM, REGNERIVM
& alios. GAIL L. 2. Obs. 27. n. 35. CARPOV. Iprud. for. P. II. Conf. 18. Disf.
II. LENZ cit. Diff. §. 71. Et conspirant isti Tubingenses apud B. D. SCHWE-
DERVM Conf. Tub. Vol. I. Conf. 110. n. 14. seqq. Maxime hanc sententiam fir-
mant etiam verba Imperatoris, acerbum &c. non autem hoc solo acerbior videtur
excusso, si debitor alienæ subfit jurisdictione.

(e) Qualem casum in Cam. Imp. decisum in causa Leers contra den hamburgischen
Stadt-Rath resert Perill. Du. a Cramer, in den wezlarischen Neben-Stunden
P. 70. n. III. p. 41. seqq.

§. XVIII.

Quæstio septima.

Sunt, qui negant, beneficium excusonis locum habere
tum, cum debitor principalis exceptione prescriptionis vel alia etiam
exceptione peremptoria tutus est. (a) An igitur, & quoque haec
enunciatio recte sepe habeat, brevibus dispiciendum est. Ex-
ceptiones peremptorias omnes vel facti, vel juris esse, inter
omnes constat, si ponamus, creditori obstat aliquam exceptio-
nem facti, supponitur simul ipsa actio principalis extincta esse, (b)
unde prono alveo fluit, sublata principali obligatione, & ma-
xime ipso jure sublata hac obligatione, durare non posse ob-
ligationem fidejussoris accessoriā, quæ sine principali
obligatione existere nequit, & hac extincta, ipsa quoque ex-
tincta videtur. (c) Non igitur hoc sensu adfirmari poterit, cef-
ara

203

35

fare beneficium excusione, ut praeterito debitore principali statim fidejussor conveniri posse: Cum enim nulla amplius sit fidejussoris obligatio, cum ipsa quippe principali debitoris obligatione sublata, contra illum etiam nulla datur actio & fidejussor potius hoc casu conventus, recte nonnet eandem exceptionem facti, quae competit debitori principali, vel etiam exceptionem actionis non competentis. (d) Quodsi vero supponamus exceptionem aliam quamcumque peremptoria^m, sed iuris, licet hoc casu actio ipso jure non sit sublata, ejus tamen exercitum in perpetuum est sublatum, e) & cum omnes exceptiones peremptoriae debitori principali competentes etiam fidejussori competant, (f) etiam fidejussor recte opponet easdem exceptions. Ergo ne opus quidem habet beneficio ordinis. Nec hanc exceptionem poterit opponere, quia hoc casu principali non posset excuti, cum creditori agenti & petenti obstatet exceptio peremptoria. Ex modo dictis igitur facile adparat, quod nec tum, cum creditori intuitu debitoris principalis obstat exceptio præscriptionis, fidejussor recte conveniatur; hinc enim hanc exceptionem ad exceptiones facti, quorum re vera est referenda, (g) sive ad exceptionem juris referamus, semper etiam fidejussor vel ipso jure, vel certa ope exceptionis perpetuae tutus est.

(a) In hac sententia est BURKLEII Concl. 24. n. 99. cum multis ibi allegatis.

(b) LAVERBACH in Coll. Tit. de Except. §. 3.

(c) §. 1. 2. 3. Inf. I. 6. a. I. II. I. 16. pr. ff. de fidejuss. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig.

(d) Ex ipso enim dum fidejussoris accessoria obligatio sublata est, extinta est etiam actio, quae creditori competenter, hinc revera creditori sine actione agit, & recte eidem exceptio non competentis actionis opponitur, quae est ipsa exceptio intentionis seu facti, & omnem actorem statim a limine judicij repellit, cum nempe sine actione agere possit: L. 6. § ult. de neg. gest. L. 9. §. 3. de adm. & peric. tuorum. Hinc etiam iudex ex officio hanc exceptionem supplicare potest, & tenetur, modo de ea ex artis constet: GRASS in Collar. jur. cum R. C. IMP. leg. 60. §. I. p. 670. seqq. & in Disp. Prax. ant. mod. actionum civilium & Praetorianarum cap. I. leg. 2. §. 10. Duplicit igitur modo hinc exceptio differt ab exceptio-

cuffia.

D

ere
iam
dec
ter
tio
(b)
ma-
ob-
pali
ex-
cel-
sara



excusonis, quæ quippe est saltem dilatoria, non peremptoria minime facta, & præterea à judge non ex officio supplenta, uti hæc.

(e) Quo ipso quoad effectum parum differt ab except. facti seu intentionis, & hinc non incongruo parum iheresse adfirmat *Iohannes PAULVS*, in l. 112, ff. de R. J. An ipso jure actionem quis non habeat, an per exceptionem infirmetur?

(f) L. 7. §. 1 . . . 19. de except.

(g) Quod latius probavit *LITZACH* in Coll. Th. Tir. de div. temp. præscript., §. 19:

§. XIX.

Quæstio octava.

Addo denique octavam quæstionem; *An fidejussor, qui pro debitorē cambiali fidem adstrinxit suam, & litteris cambialibus subscripsit, eo ipso amittat beneficium, an vero non obstante illa subscriptione & obligatione cambiali, creditorū cum effectu opponere possit exceptionem excusonis, ita ut hic prius excutere debeat principalem debitorem?* Quæstio est paullo intricior & a diversis diversimode decisā. Sunt enim haud pauci, si non plurimi, qui fidejussori litteris cambialibus subscriptibent & cambialiter sese obliganti beneficium excusonis competere negant, (a) quibus scilicet processus executivi hujusmodi exceptionem dilatoriam minus ferre videtur. Conspirant etiam hac in re multæ immo pleræque forte ordinationes cambiales, quæ fidejussori hoc modo sese obliganti beneficium ordinis non tribuant, sed expresse adimunt: Si quidem mihi dicendum sit, quid mihi videatur, hæc sola fidejussoris subscriptio litterarum cambialium & obligatio cambialis, si non aliæ concurrant circumstantiæ, ex alia causa beneficium ordinis excludentes, vix mihi sufficere videatur ad excludendum hoc beneficium. Ratio si quidem hujus beneficii est ipsa æquitas naturalis, ne sine ulla ratione fidejussor ante debitorem principalem conveniatur, cum potius major ratio sit primo loco debitorem principalem excutiendi. Hæc ratio autem stringit aequum in fidejussore, qui ad rigorem juris

juris cambialis sese adstrinxit, ac quidem in alio. Nam cum heic, quod suppono, ipse quoque debitor cambialiter obligatus sit, utrinque eadem est conditio, adeoque etiam hoc casu nulla foret ratio conveniendi fidejussore ante debitorem principalem, cum eadem facilitate creditor a debitore ipso consequi suum possit ac a fidejussore: Quin vero si aliæ præsto sint rationes, quæ excludunt beneficium ordinis, illud etiam hoc casu exclusum sit habendum, dubitandum non est. Præterea legis scil. Nov. 4. sanctio est generalis, & Jus Justinianum ignorat obligationem cambialem, atque aliâs regula est, quod, ubi in ordinationibus cambialibus nihil singulare constitutum est, standum sit juri communi. (b) Vbi igitur in aliqua Ordinatione non in specie fidejussori beneficium ordinis admittum est, ibi hoc vix poterit haberri ex clusum. Nec obstat, quod in multis, immo forte in plerisque LL. cambialibus expresse excludatur hoc beneficium, namque hæc jura singularia & particularia nusquam obligant, nisi in territoriis, in quibus latet, in reliquis igitur territoriis secundum jus communne erit pronunciandum. (c)

(a) STRYK Diss. de litt. camb. accept. cap. 5. §. 10. HEINECCIVS Elem. jur. camb. cap. 6. §. 10. in note p. 58. sibi tamen ipsi aliquo modo contrarius, c. 3. §. 27. LUDOVICI Einleitung zum Wechsel-Proceß cap. 5. §. 10.

(b) Illustr. D. D. GODOFR. DAN. HOFFMANN de opifice & rustico cambiante p. 4. &c. 8. Illustr. DN. D. KAPFF. DISS. de locatione cambii proprii in concursu creditorum §. 2. p. 5.

(c) Immo vero multæ etiam dantur ordinantes cambiales, quæ diserte beneficium excusonis admittunt, quo sum referendæ die königlich preußisch ernannte Wechsel-Ordnung Do. Berlin den 30. Jan. 1751. Art. 13. apud Uhl in der ersten Fortschung des corp. juris cambialis. pag. 5. die kurpfälzische Wechsel-Ordnung de Ao. 1746. §. 53. apud Siegel in dem corp. juris camb. P. I. p. 402. & in primis hoc etiam referri megetur die herzogl. württembergische Wechsel-Ordnungen cap. 6. §. 11.

§. XX.



S. XX.

Multæ fortæ adhuc proponi potuissent quæstiones, que
pariter non extra controversiam politæ sunt, ne autem in ult
imam molem mea exerescat Dissertatio, vela jam contraho.

F I N I S.



VD18


ULB Halle
007 455 496

3





B.I.G.



TIO INAVGVRALIS JVRIDICA
SISTENS
STIONES QVASDAM
DE
VICIO ORDINIS
EXCVSSIONIS.

QVAM
IVVANTE DEO T. O. M.
EBERHARDINO-CAROLINÆ
IGNIFICENTISSIMO,
AC POTENTISSIMODVCE AC DOMINO,
DOMINO
R O L O,
TEMBERGIAE ET TECCIAE
rel. rel.
STRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS,
PR AE S I D E
PATRE
DO CHRISTOPH. CANZ,
V. I. D. HVJVSQVE PROF. PVBL. ORD.
CRENISS. DN. DVCIS CONSILIARIO
GRADV DOCTORIS
e Sept. MDCCLXX.
H. L. Q. C.
DEFENDET
AVCTOR
S GOTTLIEB CANZ, Tubingensis,
IONVM TRIBVNALIS WURT. CAVSARVM PATRONVS.
LITTERIS JO. AD. SIGMVNDI.

